

ra. Reponuntur loco sicco & calido, & ad menses sex referuantur. Exhibentur purgantes tribus vel 4. horis ante cibum: alia vero 2. vel tribus. Dosis purgantium vt plurimum est ℥. β. interdum plus minusve pro sumentis viribus, per se vel trita in iusculo aut aqua conuenienti. ceterarum vero exhibentur duæ vel tres pro morbi conditione: vt si ℥ij. vel ℥j. β. ponderet tabella vna, sufficiet, cui aliquando cochlear vnum aut duo aquæ conuenientis superbibitur.

*De pulueribus.*

C A P. XXVIII.

**C**Vm in officinis non semper tabellæ præparatæ habeantur, eæque ex pulueribus, quos species vocant, conficiantur, idcirco species præparatas habeant, oportet. Quare de pulueribus nunc dicendum erit. Pulueres in officinis vsitati duplices sunt: Vel enim assumuntur, vel extrinsecus admoventur. Illorum multæ sunt differentiæ vel à partibus, quibus conueniunt, vel ab eorundem effectu, desumptæ. Ab effectu alii intemperiem emendant calidam, frigidam & humidam: non autem siccam: Nam cum pulueres consistentia sicci sint, siccam intemperiem potius augent, quamvis nonnulli puluere resumptiuo & pul. diatraga, frig. ad extenuatos & marcescentes vtantur. Alii humores euacuant, alii concoctionem adiuuant, quidam flatus discutiunt, nonnulli obstructions liberant, calculum comminuere creduntur, &

L

pro-